DEO OPTIMO MAXIMO VIRGINIQUE MATRI.

QUÆSTIONES MEDICÆ.

10

QUÆSTIO THEORICA.

An ex nimia animi contentione ſubita canities contingere poſſit?

I.

EA eſt in perquirendis rerum abditarum cauſis humani natura ingenii, ut vel auctoritate ac præjudicio fultum, antiquis opinionibus firmiùs inhæreat, novaſque pertinaciter reſpuat; vel novitatis fuco, potiuſquam veritatis amore ductum, quidquid novum eſt ac inauditum hactenus avidè excipiat. Hinc plurimos inter Medicos Phyſicoſque qui adſtruendis, admittendiſve ſyſtematis dant operam: alii à ſuſcepta ſententia diſcedere indignum putant: alii verò, ſpretis Majorum placitis, novæ cuidam opinioni vix in lucem prolatæ præcipitanter, aſſentiuntur. Sub omnium oculis verſantur utriuſque vitii exempla; & ne cupiens vitare Charybdim, incidam in Syllam, unius tantùm rei ſtudioſus (veritatis ſcilicet) utrumque ſcopulum, quoad potero, declinabo. Verùm ut inſtitutum opus aliquo procedat ordine, Theſim juvat à definitione auſpicari. Per Capillum intelligimus corpus exiliſſimum, longum, teres, frigidum, flexile, ſiccum & cavum. Decebat profectò Deum qui omnes theſauros (ſi dicere fas eſt) in gratiam hominis exhauſiſſe videtur, ipſius caput Pilis exornare. Quantum homini decoris afferant, diſertè docet Divus Hieronymus, his verbis: *Coma reverenda in ſenibus, veneranda in Sacerdotibus, terribilis in militibus, compta in mulieribus, dulcis in pueris.* Eò fœmina amabilior eſt, quò magis imberbis. Aſſerunt auctores plurimi, hi quidem claſſici, materiam Pilis menti gignendis idoneam tempore quo ſororiantur mammæ, pubertatis tempus intellige unà cum Cathamœniis foras amandari. Suppoſitâ muliere barbigerâ, primis ſæculis difficile fuiſſet marem à fœmina, abſque obſcœnitate, diſtinguere. Pili varia ſortiuntur nomina pro variis partibus è quibus erumpunt: qui caput videntur obvallare nomine Capillorum inſigniuntur: qui jacent ſuper orbitam, hos Supercilia: qui palpebram utramque efformant, Cilia nuncupabis: hos verò qui mentum adornant Barbam voca. Pilos in vola & ſolo nullos reperies propter nimiam pororum conſtrictionem.

II.

PILI quos vix à limine ſalutavimus multa ſuppeditant unde diſſeramus. Priuſquam immaturam canitiem enodemus, plurima dicenda occurrunt de materia quâ nutriuntur. Diverſitatem Capillorum repetendam cenſemus ex multiplici fonte, à quantitate, denſitate, longitudine, exteriori qualitate, vario colore, ratione temporis. Si quis aliud diſcrimen aſſignet, ei non refragabimur. Hæc omnia ſigillatim perpendamus: hos ſi audias, Capillorum ſicut & Pilorum cauſam materialem refundes in vapores ſanguinis fuliginoſos, excrementitios, terreis particulis onuſtos quos ſubminiſtrat tertia coctio. Si hæc tibi minùs arrideant, hoc opus adſcribas ſucco ſpiſſo, viſcido, admodum impuro, à ſanguine aut alio quovis humore modo peculiari præparato, per me licet. Quantitate diſcrepant: ſi his benigna natura Capillorum ſilvam conceſſerit, iſtis noverca penuriam; denſitate reverà hi Capillos gerunt exiles, iſti ſpiſſos & craſſos. Horumce phœnomenorum cauſam ſciſcitanti, ex majori vel minori pororum latitudine deſumendam reponam. Si quis eos metiatur cum una eademque, non eſt in omnibus ſubjectis conformatio pororum. Si aliunde ſucco nutritio affluat Petrus, idem Paulum deficiat; comatum primum dices, ſecundum non comatum. Exteriori qualitate hinc alii molles habent, alii duros: hi criſpatos, iſti ſiccos: permulti humidos, quod meritò in mutatione temperamenti necnon variâ ſucci nutritii indole repono. Eſt & aliud diſcrimen in Capillis admittendum habitâ ratione diverſi coloris. Sic pituitæ miſcela cum ſucco quo aluntur eos facit coloris albi participes: ſi eidem ſucco ſalſuginoſitates miſceantur, hoc ignoſcite verbum, colorem nigrum; ſi bilis flavum referent, ſi humores jam laudati modò ad ſynciput, modò ad occiput confluant, noli fidem derogare aſſerenti evenire poſſe ut caput ejuſdem hominis colore modò flavo, aliquando nigro, nonnunquam albo inficiatur. Ex dictis facile eſt intelligere cur capilli magnâ parte Ægyptiis, Arabibus, Indis, Hiſpanis, Italis nigri, Batavis è contra, Anglis, Scotis, plagas aquiloni ſubjectas habitantibus albi hæreditate obveniant. Demum ratione temporis differunt: hinc ſolemnis diviſio in congenitos & poſtgenitos. Sanguinem in capillis circulari nullus audeat inficiari; ſi eat inficias aut ambigat, inſurget morbus Polonis familiaris vulgò dictus Plica Polonica, in qua capilli ſanguinem fundunt. Hoc non ſine cauſa adſcribo aquis fontis qui manat propter Cracoviam. Bonæ aut pravæ indolis argumentum non leve varius color capillorum. Omnium peſſimus qui proximè accedit ad rubrum. En imago imperfecta ſed genuina nequiſſimi ac ſceleſtiſſimi Judæ qui mundi Redemptorem prodidit.

III.

NIMIA animi contentione quam inducendo capillis colori albo aptam contendimus, res plurimæ miſeros mortales irretiunt, quas brevitatis causâ revocare lubet ad jacturam bonorum, graves rei domeſticæ curas, ſolicitudines, ſummum amaſiæ diſſitæ aut fato functæ deſiderium; ſi quis adjiceret hanc quoque cauſam agnoſcerem. De canitie quæ ſenibus accidit, nulla fit mentio; rem ſaltem breviter perſtringam: pro ipſius cauſa accuſamus cerebrum admodum humidum quod largam pituitæ copiam ſubminiſtrat: hæc pituita ſucco alendis capillis dicato immiſcetur; ipſorum ſubit ſcrobiculos, & illos colore albo tingit canitiem, cujus cauſa eſt immodica animi contentio. Examini ſubjiciamus expoſtulat demandata nobis provincia. Obſervatum eſt quoſdam ſubitò canos evaſiſſe; ita refert Sennertus ex Scaligero Exercitatione trecenâ decimâ ſecundâ, Hiſtoriam quæ ſub Franciſco Gonzaga accidit: is affinem ſuum ſuſpectum conjurationis cùm in turri ad quæſtionem & ſupplicium aſſervari juſſiſſet, nuntiatum eſt manè totum eum repente canum factum. Magnificus Dominus Rector Orationem Panegyricam habiturus Ludovico XIV. felicis memoriæ Galliarum Regi invictiſſimo, cùm ad multam noctem pluries vigilaſſet, partem capitis notabilem candidam animadvertit. Præſtanti vir ingenio vagiens in cunis me hercule canuit, in quo & ſcientiarum præſidia collecta ſunt & virtutum merita congeſta tempore quo nondum ex ephebis exceſſerat. Utriuſque intempeſtivæ canitudinis cauſas exploremus. In affine laudato ſanguis præ timore ſpiſſus factus hærebat in vaſis cerebri, arteriis ſcilicet carotidibus & cervicalibus, exoneravit in glandulas cuti ſubſtratas pituitæ plurimùm, quæ delata in capillos beneficio vaſis excretorii illos albos effecit. In ampliſſimo Rectore ſanguis provolutus velociori motu ad vaſa præfata affatim pariter devectus ad colateria glandularum in ipſas depoſuit humoris dicti largam copiam. Hinc capilli canitiem contraxere vitandi ſedulò nimiæ animi contentionis ſcopuli: moderata lectio prodeſt, inquit Seneca, nocet diuturnior. Eſt modus in rebus extra quem nequit conſiſtere rectum; & ſicut alimenta nimiâ quantitate aſſumptâ ventriculum fatigant; ſic ſtudium pertinaciùs negotium animo faceſcit ejuſque vires exolvit. Unde jure concludo:

Ergo ex nimia animi contentione ſubita canities contingere poteſt.

QUÆSTIO PRACTICA.

An dolori nephritico aquæ rupipoſææ?

I.

INTER morbos quibus obnoxius eſt homo, ærumnarum fons & infirmitatum, nephritidem annumeramus. Hominem dico miſeriarum abyſſum, quem vel in utero concluſum morborum ilias jugulat. Proh Deum immortalem! poteſtne mors hunc ſibi in prædam vindicare qui nondum communi ſpiritu perfruitur? Gravis lis eſt inter Medicos circa doloris nephritici definitionem: hunc alii cum inflammatione renum confundunt, alii cum calculo renum: Nos verò qui continuò ferimus in oculis auguſtiſſimum Monſpelienſis Apollinis fanum, vocamus nephritidem dolorem renum, aut uretherum à quacumque cauſa ſoboleſcat. Quapropter Nephritis quæ à parte frequentiùs affecta, renibus videlicet nomen mutuatur, dolor eſt renum ſeu uretherum cum abolita aut imminuta urinæ excretione. Quoniam autem dolor omnis ſupponit nimiam nervorum ſuccutionem, & abolita aut imminuta urinæ excretio anguſtiam viarum per quas ſecerni aut ſecreta moveri debet. Quæcumque igitur renes vel uretheres irritare & illarum partium cavitates anguſtare valebunt, Nephritidem parient. Hæc autem efficere poſſunt inflammatio renum, quoniam in parte inflammata ſanguis accumulatur & inſigniter rareſcit. Vaſa quoque turgere & præter modum tenſa eſſe oportet, ex quo evidenter ductuum urinoſorum compreſſio, nervoſorum tenſio, & præternaturalis ſuccutio, ſequetur inde dolor cum præpeditâ urinæ excretione. Cùm verò urina excrementum eſt quod continuò in ſanguine generatur, intra vaſa accumulabitur, & in partes ruet, ſicque varium damnum afferet, ſi in cerebrum affectus ſoporoſos excitabit; ſi in pulmones, gravis cauſa ſuffocationis timendæ. Solet autem in ventriculo ſedem eligere quem pungit & vellicat, indeque exurgit vomitus necnon halitus urinæ odorem referentes, oris cavitatem contaminant, & in univerſum corporis habitum irrepunt. Febris quoque colico nephritico ſuppetias venit cui urinâ ſuppreſſâ inflammatio renum calculus in ipſorum pelvi vel uretheribus nidulans natales præbere poteſt. Sunt & aliæ nephritidis cauſæ quas conſultò omittimus. Quòd ſpectat calculi materiam, arbitramur in corpore humano formari calculos, non ex peculiari aliquo lapideſcente ſucco, ſed per ſimplicem terrearum particularum congeſtionem quas unà cum alimentis quotidie devoramus. Terreæ hæ particulæ cum nullo elatere præditæ ſint, neque in nutrimentum abeant, in minutiſſimis vaſculorum extremitatibus neceſſariò coacervantur, ubi morbificas concretiones creant. Cauſam calculi efficientem cum ſaniori Medicorum parte in calorem moderatum refundimus.

II.

TRADITA nephritici doloris definitione, ipſius cauſis inveſtigatis, exploratâ calculi materiâ ad ipſius diagnoſim & prognoſim magnis itineribus contendimus. Nephritidem renum arguit dolor in lumbis fixus cum præpedita urinæ excretione. His calor partis affectæ immodicus nauſea, vomitus urinæ adjunguntur. Dolor verò uretherum quia fixus non eſt, ſed per abdomen vagatur, cum Colica inteſtinali confundi poteſt. À qua tamen diſtingues per ſuppreſſam aut maximè imminutam urinæ excretionem per ſitum; nam uretheres, ut docet Authopſia, à renibus ad hypogaſtrum obliquè tendunt. Præterea detento Colico dolore aliquid ſolatii affert alvi depoſitio: nihil omnino nephritico evidentior eſt ejus diagnoſis, ſi æger talem dolorem per periodos redeuntem paſſus *fuerit. Demum indaganda* cauſa doloris quæ ſpeciem, ut plurimum certè indicat. Finito neph*ritidis paroxiſmo urinarum* inſpectione, de morbi natura liquidò conſtat. Signa cauſarum in *hunc modum inſtituere poteris. Si dolor nephriticus ab inflammatione proficiſcatur, conqueretur æger de dolore in lumbis maximo, de* febre acuta. In principio morbi ſitis intenſa, anxietates graves, vigiliæ ægrum diſcruciant, &c. Si calculus in pelvi renum latitans nephritidem producat, noſcetur ex dolore fixo in lumbis: incipiente morbo ſat miti, ſucceſſu temporis admodum ingraveſcente, ponduſque ab ægroto in renibus percipitur, nephritidem morbum pronuntio acutum. Dubii hâc ratione eventûs cùm aſſerat Hippocrates, Aphoriſmo 19. Sectionis 2. in acutis morbis non omnino certas eſſe mortis aut ſalutis prædictiones. Patet inde quantum prudentiæ præ ſe ferre debeat Medicus cui ſoli de morbis judicare competit. Hoc nos cum divino ſene edocent Medici complures magni nominis, inter quos inſignem ſanè locum tenet unus è ſaluberrima Pictavienſi Facultate, qui Prælectiones Medicas auſpicaturus ab aliquot menſibus de prognoſi in morbis ferenda dixit. Hunc virum lubenter audivimus, ex cujus ore melle dulcior fluebat oratio. Varianda tamen prognoſis pro varia cauſâ à qua dependet nephritis quæ ortum habet ab inflammatione maximè timenda: minus habet periculi quæ à calculo, quia per uretheres ad veſicam ferri poteſt. Si verò præ mole in uretherum cavitatem ſe ſe inſinuare nequeat, ægro certiſſimè mortem affert, ſed priùs renum abceſſum & ulcus cum febre hectica & maraſmo. Nephritis cujus cauſa hæreditaria eſt, non ſanatur datâ tubulorum urinoſorum vitioſâ ſtructurâ, pravâque ſanguinis craſi, quæ remedia ſuperare nullatenus valent.

III.

HIS ita exaratis accuratiſſimè indagare & odorari quæ ſit vis aquarum rupipoſæarum ad nephritidem delumbandam conſilium eſt: nos minime latet hunc affatum multis aliis expugnari poſſe remediis, ſed his ſuperſedemus, perpauca ad ſummum recenſebimus, ne theſis quam jam produxi, longiùs limites excedat. Sanando dolori Nephritico aquas præfatas ideo comparatas prædicant Medici quòd diureticæ ſint, id eſt, quòd uberiorem urinæ copiam valeant promovere. Hæ aquæ epotæ per vias dicatas, œſophacum dico, ad ſtomachum devolvuntur ex hoc viſcere liquoris. Nonnihil una cum chylo migrat in venas lacteas primarias delaturum in ſecundarias quæ miſenterium adornant: ibi per aliquod breve tempus hoſpitans viam ſibi facit ad canalem thoracicum, dein ad venam axillarem ſiniſtram è quâ cum ſanguine in ventriculum cordis dextrum devehitur. Iſtæ aquæ ſic commixtæ cum ſanguine ipſius motum vaſa emolliendo & relaxando obtundunt imminuto ſanguinis circuitu minùs frequenter appellit ad colateria renum. Hinc ipſorum ductuum minor compreſſio, hinc uberior urinæ excretio rupipoſææ fons alio nomine orgaſmum ſanguinis compeſcit partibus nimirum ſulphureis quas ad intricandas ipſius particulas valde accommodatas agnoſcimus ſal armoniacum quod in aquis rupipoſæis latere credimus aliquid conferre ad ægrotantis levamen non negamus. Agendi modus interroganti exponetur. Laudent alii ad ſatietatem venæ ſectionem parera brava: alii plenâ manu ſal armoniacum; alii commendent balnea: hæc omnia magni facio, præſertim balneum, ſi ex oleo olivarum conficiatur, ut mos eſt in Provincia & utraque occitania, ſed cum natura oleum hoc invidit Provinciæ Pictonicæ hoc remedio perraró utimur. Præfata remedia (iterum dico) maxima præſtant in nephritide; ſed his, me judice, palmam præripiunt aquæ rupipoſææ.

Ergo dolori nephritico aquæ rupipoſææ.

ASSERTIONES.

Lapidis Philoſophici inquiſitio multum dat fumi, parum auri.
Retina præcipuum eſt organum viſûs.
Bruta ex ovis generari opinio ingenioſa & probabilis.

PROBLEMATA.

An corporis temperatura animi mores indicet?
An vir facetus jocis delectetur?
An virum ebrioſum ebrietas juvet?

PARADOXA.

Qui ſapiens eſt, is ſolus dives.
Nullum bonum niſi quod honeſtum eſt.
Mori ſatius eſt quàm vivere.

Has Theſes (Deo Optim. Maxim. & Virgine Dei-parâ faventibus) *pro adoptione in Facultatem Medicam Pictavienſem propugnabit* JOSEPHUS-BLASIUS MAUDUYT, *Pictavienſis, Doctor Medicus Monſpelienſis*, PHILIPPI *filius &* ANDREÆ *nepos, ejuſdem Academiæ Doctorum. Die ſolidâ octavâ menſis Januarii anno Dom. 1732.*

IN SCHOLIS MEDICORUM.

PICTAVII, Apud JOANNEM FAULCON Filii, Academiæ Typographum, è conſpectu viæ Franciſcanæ.